



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De|| EXTREMA VNCTIO-||NE, ORDINE, ET MATRI-||MONIO.|| SINGVLIS LIBRIS
EX-||PLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

VIII. Minores etiam Ordines Sacramenta esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54104)

rum, & Diaconorum: tamen postea concessum est Subdiaconis, tangere sacra vasa, vt patet ex can. Non liceat, dist. 23. & cœperunt etiam ex Subdiaconis eligi Episcopi, vt patet ex Innocentio, & Urbano locis notatis.

Quod autem Magister dicit, Subdiaconos ab Ecclesia introductos, nō sic debet intelligi, quasi Ecclesia eum Ordinem instituerit; sed videtur Magister existimasse, vsum horum Ordinum non cœpisse tempore Apostolorum, sed postea, quōd videlicet antea ob fidelium paucitatem, nō essent tot Ordines necessarij. Sed neque hoc videtur esse verum: nam sanctus Ignatius, qui tempore Apostolorum floruit ferē omnium Ordinum meminit, in epist. ad Heronem & in alia ad Antiochenos.

SECUNDVM argumentum, Subdiaconi poterant ordinari à Chorepiscopis, vt patet ex Concilio Antiocheno, can. 10. At Chorepiscopi erant simplices Presbyteri, qui Ordinis Sacramentum conferre non possunt; igitur Subdiaconatus non est Sacramentum Ordinis.

RESPONDEO, duo fuisse genera Chorepiscoporum (vt diximus in disputatione de Clericis) quorum alij erant veri Episcopi, sed in aliena diœcesi morabantur, vt nunc in Germania Suffraganei, & de his loquitur Concilium Antiochenum; alij erant solum Presbyteri, & ab his negat Damasus epist. 4. posse ordinari Subdiaconos.

CAPVT OCTAVVM.

Minores etiam Ordines Sacramenta esse.

DENIQUE, de minoribus Ordinibus, minus probabile est, quōd Sacramenta sint, quā de Subdiaconatu; nam neque est ita communis sententia, sicut de Diaconatu, & Subdiaconatu; & certum est, leuiora esse munera horum Ordinum, quā superiorum.

Absolutè tamen probabilior sententia est, quæ Ordines omnes Sacramenta esse docet, quā ea, quæ id negat. PRIMO, quia id asserunt omnes veteres Scholastici, Durando excepto. ET ex recentioribus grauissimi quique, vt Fran-

DD 4

ciscus

ciscus Victoria in summa de Sacramentis, *Petrus à Soto*, lect. 4. de Sacramento Ordinis, & alij. TERTIO, id videtur sensisse *Concilium Florentinum*: Vbi enim dixit, Sacramentum Ordinis esse sextum Sacramentum, & materiam huius Sacramenti esse id, quod porrigitur in Ordinatione: continuo ponit exempla de Ordine Sacerdotis, Diaconi, & Subdiaconi; & addit, idem de aliis Ordinibus intelligendum. Neque dissentit *Concil. Trident.* nam sess. 23. cap. 2. septem Ordines numerat; & postea cap. 3. absolute Ordinem Sacramentum esse dicit. QUARTO, Minores Ordines non possunt iterari, igitur imprimunt characterem; igitur Sacramenta sunt.

Vna est obiectio in contrarium, quia si quot Ordines sunt, tot Sacramenta esse ponamus; iam Sacramenta non erunt septem, sed quatuordecim.

RESPONDEO, omnes Ordines licet sint per se singuli Sacramenta, tamen vnum Sacramentum censeo, quia vnum sunt, vel genere, vel quia ad vnum finem omnes referuntur.

CAPVT NONVM.

Manus impositionem ad essentiam Sacramenti Ordinis pertinere.

SEQVITVR TERTIA controuersia, de materia, & forma huius Sacramenti. Conuenit autem inter omnes, materiam esse aliquod signum sensibile, formam autem esse verba, quæ dicuntur, dum illud signum exhibetur. Quamuis enim Scriptura non meminerit verborum; tamen aperte scribunt verba requiri, antiquissimi Patres, vt *Ambrosius* in cap. 4. 1. ad *Timoth.* *Hieronymus* in cap. 58. *Isaiæ*, & *Augustinus* in serm. de gestis cum Emerito: & idem patet ex antiquo Ordine Romano, & ex omnibus, qui de hoc Sacramento tractant.

SED quia in Ordinatione Presbyteri & Diaconi, duplicia signa exhibentur, nimirum impositio manuum, & porrectio instrumenti, vt calicis & patinæ in presbyteratu; & libri Euangeliorum in Diaconatu; ideo quæstio existit, vtrum horum signorum sit essentialis materia Sacramenti. Duæ sunt autem Theologorum sententiæ.